

1572
30 agosto

TRASCRIZIONE DELL' ATTO DI
DONAZIONE
DEI TERRITORI DI POSTA
A
MARGHERITA D' AUSTRIA

2000
a cura di **Roberto Mancini**
(dalla copia della trascrizione degli "Alligati"
consegnata al Tribunale dell' Aquila nel 1899 e anni successivi
conservata nell' Archivio Storico del comune di Posta)

29 z]gosto 1567

30 Agosto 1572

ARCHIVIO NOTARILE DI TREVÌ

COPIA AUTENTICA

DONATIO

Die penultima Augusti 1572. Actum in oppido Apostae provinciae Aprutii Ulterioris et signanter in palatio serenissimae Madamae Margheritae ab Austria sito juxta res Conventus Sancti Francisci moenia publica oppidi prefati et alios fines etc.

Coram egregio Notario Scipione Alexandrino de terra Amatricis ejusdem pruvinciae Regio Iurato Iudice ad contractus ad vitam me Persio Salvio de Monte Santo Publico Regia auctoritate notario et his testibus videlicet excellenti Domino I. V. Doctore Trivultio Gualterio de Urbe veteri Generali Auditore dictae Serenissimae Madamae, excellenti Domino Iulio Torre de Neapoli, eccellente Domino¹ Nutio Syrigatti de Florentia excellenti Domino Alonso Corneyo Hispano² et magnifico Domino Mutio De Davanzatis de Florentia ad infrascripta habitis et vocatis.

Nos qui supra notum facimus in quod coram nobis Iudice notario et testibus antedictis hodie ac praesenti die supradicta personaliter constitutus probus vir Iohannes Berardinus Hieromini de terra praefata Apostae Syndicus et procurator Universitatis et hominum ejusdem terrae et prout de ejus sindicatus et Procurationis mandato constare vidimus ex publico documento manu egregii Notarii Vespasiani Aristae de Castro Sancti Demetrii ejusdem Provinciae sub die vigesima nona mensis³ Augusti praesentis, sponte asseruit annis retro decursis universitatem praefatam ex nonnullis rationalibus causis animum ipsius tunc moventibus, cessisse, transtulisse et donasse excellenti Domino Ferdinando Corneyo Hispano tunc in humanis agenti et Baroni et utili Domino terrae prefatae Apostae territorium et pertinentias Villae dirutae Laculi sive tenutam Vallis Marae nunc nuncupatam situm et sitam in territorio terrae prefatae justa res et bona Abbatiae Sanctis Quirici, res et bona universitatis terrae Burboni res et⁴ bona Casinae, res et bona universitatis Introduci et alios fines atque alia bona⁵ et jura ad ipsam Universitatem tunc spectantia et in instrumento Cessionis et donationis hujusmodi inferius nominando latius expressa conditione adjecta quod si quandoque contigeret aut contigisset dictam terram Apostae per eundem Dominum Ferdinandum Baronem et utilem Dominum sive per ejus heredes et in posterum⁶ successores vendi aut quomodolibet alienari aut alios desineret esse illius Baronis dictum territorium et pertinentia Villae Laculi sive tenuta⁷ Vallis Marae aliaque bona et jura ut supra cessa translata et donata pure et libere redirent sub dominio proprietate possessione et jurisdictione prenominatae Universitatis terrae Apostae et hac etiam conditione et pacto

¹ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "Dominio"

² Nel testo da cui si trascrive è scritto: "Hysdano"

³ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "mentis"

⁴ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "reset"

⁵ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "bone"

⁶ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "poterum"

⁷ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "tanuta"

quod omnes possessiones intra confinia predicta empte a particularibus personis seu a Conviciniis ab hominibus tantum dictae terrae Apostae intelligerentur extra cessionem et donationem prefatam et ipsis nullatenus esset prejudicatum et aliter prout in istrumento desuper confecto sub manu et rogatione egregii Notarii Angeli Canofori de terra Montis Regalis publici Notarii inde Rogati sub die quarta mensis Ianuarii anni millesimi quingentesimi trigesimi quarti latius dixit contineri, ad quod pro breviori facti narratione relationem haberi voluit non secus ac si de eo in praesenti istrumento esset facta mentio specialis et particulari ac de verbo ad verbum Demunque evenisse excellentem Dominam Helienoram Corneyam filiam dicti q. ex.^{tis} Domini Ferdinandi et jure successionis ex persona q. ex.^{tis} Domini Ioannis Baptistae Corneyi sui germani utilem Dominam terrae prefatae, eandem terram cum ejus dominio Iurisdictione⁸ et integro statu vendidisse et alienasse⁹ serenissimae Madamae Margaritae ab Austria pro se suisque heredibus et successoribus et prout de venditione et alienatione hujusmodi constare dixit ex publico istrumento exinde confecto manu egregii notari Iosippi Margici publici notarii Aquilani exinde rogati, et exinde eandem Universitatem pretendere evenisse casum conditionis quod idem territorium et pertinentia Villa Laculi sive tenuta Vallis Mare aliaque bona et jura ut supra cessa translata et donata devenerint et redierint sub dominio proprietate possessione et jurisdictione ipsius Universitatis ex dicta venditione et alienatione facta etiam cum potestate jure et facultate de illis libere disponendi tamquam de re¹⁰ propria ad ipsam Universitatem justis et legitimis causis spectante et pertinente. Postomdum Universitatem ipsam mature considerasse sua interesse sibi convenire et expedire eandem gratitudinem et demonstracionem quam erga dictum Dominum Ferdinandum exhibuit in prenomina-
 cessione translatione et donatione territorii et pertinentiarum Villae Laculi sive tenutae Vallis Mare aliorumque bonorum et jurium prenominatorum et longe majorem exhibere et prestare prefatae Serenissimae Madamae cum sit dignior major et excellentior et tantum prestat et eminentior est quantum lenta solent inter virgulta cupressi et per consequens ab *ea majus comodum et utilitatis incrementum sperare possit Decrevisse* propterea ex publico generalis sui Concilii decreto dictum territorium pertinentias¹¹ Villae Laculi sive tenutam Vallis mare aliaque bona et jura supradicta ut supra situm sitas situm et sita ac confinatum confinatas confinatam et confinata eidem Serenissimae Madamae pro se suisque heredibus et successoribus in perpetuum perpetuis¹² futuris temporibus cedere transferre largiri et condonare. Proque sui prefati optimi propositi exsecutione Ipsum prenomina-
 tum Ioannem Bernardinum Syndicum et procuratorem constituisse creasse et ordina-
 nasse et prout in mandato desuper mentionato de sua facultate et potestate latius dixit contineri, unde hodie hac praesenti supradicta die Idem Ioannes Bernardinus syndicus et procurator coram nobis Iudice notario et testibus antedictis personaliter constitutus volens commissionem sibi traditam debitae executioni demandare non vi dolo metu fraude sed ejus bona pura libera et spontanea voluntate, ex motu proprio, certa scientia deliberate et consulto et non per errorem aliquem juris vel facti, omni suasionem et simulationem atque vitio et fraude cessantibus quibus supra nominibus ac omnibus melioribus modo via jure-cessit concepit transtulit et donavit titulo donationis irrevocabiliter inter vivos dici solito prefatae Serenissimae Mada-

⁸ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "Iurisdictione"

⁹ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "alienas"

¹⁰ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "dere"

¹¹ Nel testo da cui si trascrive è scritto: "pertinentioas"

¹² Nel testo da cui si trascrive è scritto: "perpetois"

mae Madamae Margaritae ab Austria ibidem presenti stipulanti pro se suisque heredibus dictum territorium et pertinentias villae Laculi sive tenutam Vallis marae aliaque bona et Jura ut supra in prenominato instrumento cessionis et donationis factae edicto q. exti Domino Ferdinando Corneyo expressa cum omnibus et singulis terris pratis silvis et nemoribus ac herbageis (a) ad illud et illam et illa quomodolibet spectantibus et pertinentibus. Ab habendum tenendum fructandum cum omnibus et singulis juribus jurisdictionibus comoditatibus usibus et proprietatibus suis et cum ingressibus et egressibus Transferens idem syndicus quibus supra nominibus in eadem Senenissimam Madamam presentem et ut supra recipientem omne jus omnemque actionem utilem et directam pretoria civilem et mixtam et in rem scriptam cum pleno dominio et proprietate. Confirmans eandem serenissimam Madamam presentem et ut supra recipientem in actualem realem et corporalem tenutam et possessionem dicti territorii pertinentiarum sive tenutae Vallis Marae aliorumque bonorum et jurium ut supra cessorum et donatorum in qua nunc reperitur virtute emptionis per eam superius factae de dicta terra Apostae et territorii ipsius dando quoque eidem potestatem quatenus sibi videatur expedire dictam possessionem iterum capiendi et apprehendendi propria ipsius auctoritate et prohibito voluntatis suae absque alicuius Iudicis sive Curiae decreto licentia seu Comitativa et ita quod dicta serenissima Madama suique in posterum eredes et successores in perpetuum possint et valeant dicto territorio pertinentiis seu tenuta aliisque bonis et juribus ut supra cassis et donatis uti frui, potiri et gaudere tamquam rebus propriis ad ipsam et ipsos justis et legitimis titulis et causis spectantibus et pertinentibus et presentis cessionis et donationis vigore agere et experiri in iudicio et extra ut quilibet verus Dominus de re propria facere potest. Ponens ipsam Serenissimam Madamam presentem et ut supra recipientem in locum jus et privilegium suum. Affirmans dictum territorium et pertinentios Villae Laculi sive tenutam Vallis Marae aliaque bona et jura superius donata ante hac nemini alteri fuisse venditum in fraudem presentis contractus et litem desuper non inferre, qui nimo in omnem casum et eventum futuri iudicii jura dictae Serenissimae Madamae suorumque in posterum heredum et successorum potiora et validiora facere, hac tamen conditione expresse adjecta quad si dicta Serenissima Madama suique in posterum heredes¹³ et successores quandocumque per venditionem aut aliter quomodolibet exierint esse barones dictae terrae Apostae dictum territorium pertinentiae et tenuta aliaque¹⁴ bona et jura ut supra donatum donatae et donata revertantur et redeant ad dictam Universitatem et sub ejus dominio proprietate et possessione et ac etiam conditione et pacto quod omnes possessiones intra confinia prefata empta a particularibus personis seu convicinis ab hominibus tantum dictae terrae Apostae intelligantur extra cessionem et donationem prefatam, et ipsis nullatenus intelligatur esse prejudicatum et modo et forma prout de dictis ambabus conditionibus constat in prenominato cessionis et donationis instrumento factarum dicto q. excellenti Domino Ferdinando Corneyo. Hanc autem cessionem translationem et donationem Idem Ioannes Bernardinus syndicus et procurator quibus supra nominibus ideo fecit quia sibi beneplacuit et propter gratias et beneficia hactenus ab eadem Serenissima Madama hactenus acceptos et recepta et quas et quae sperat recipere in futurum et quia ex longa et matura discussione super premissis habita in eodem publico et generali consilio sic de omnium Consiliariorum voto et nemine penitus ut dixit dissuadente reprobante aut contradicente ex publico decreto ei-

¹³ *Nel testo da cui si trascrive è scritto: "porterum here des"*

¹⁴ *Nel testo da cui si trascrive è scritto: "alia que"*

dem Universitati ex rationabilibus causis animum ipsius juste et rationabiliter momentibus placuit sanciri ordinari reformari et deliberari. Quam quidem cessionem translationem et donationem supradictam cum omnibus et singulis in praesenti publico instrumento contentis Idem Joannes Bernardinus syndicus et procurator quibus supra nominibus promittit et convenit eidem Serenissimae Madamae praesenti et ut supra recipienti per solemnem et validam stipulationem habere ratam gratam et firmam et contra non facere dicere vel venire ipsamque nullo ingratitude vitio seu ex proposito aliquo revocare seu revocari facere per seipsum alium seu alios aliqua ratione causa vel ingenio de jure vel defacto in judicio sive extra judicium ad penam dupli valoris et estimationis dicti territorii pertinentiarum seu tenutae aliorumque bonorum et jurium ut supra cessorum et donatorum applicando solemniter et promiscue in casu contraventionis pro medietate serenissimae Madamae praesenti et ut supra recipienti et pro altera Curiae exequenti et mihi Notario. Pro quibus omnibus et singulis observandis Idem Syndicus et Procurator obligavit seipsum dictamque Universitatem illiusque homines et personas personaliter ac omnia et singula ipsius Universitatis bona mobilia et stabilia presentia et futura renuntiavit quoque super premissis omnibus et singulis exceptioni doli mali vis metus conditionis indebitae in factum actioni sine causa vel ex injusta causa non sic facti et celebrati contractus rei per omnia non sic ut aliter gestae Juri dicenti generalem renunciationem non valere nisi precedat specialis beneficio restitutionis in integrum ob enormem seu enormissimam lesionem juri dicenti donationem excedentem summam quingentorum florenorum auri insinuari debere et ipsi insinuationi faciendae tali titulo de revocanda donatione, et generaliter quibus et ad majorem cautelam juris. Rogans me Notarium.

In fine autem dicti libri apparet publicatio cum signo et nomine predicti D. Persii infrascripti tenoris.

Et quia omnibus et singulis supradictis in praesenti volumine et prothocollo notatis et descriptis ego Persius q. Anibalis de Salvis de terra Montis Sancti publicus regia autoritate¹⁵ notarius interfui ideo ea rogatus scripsi et in hanc publicam formam redigi in quorum omnium et singulorum fidem robur et testimonium me subscripsi et signum cum nomine meo consuetum apposui et si quid supra cassum vel remissum manu propria cassavi non vitio sed quia errore fuerat scriptum et omissus respective et ideo hic mentionem feci.

Omisso signo.

Signum meum Persii notarii praedicti.

Et ego Angelus Placidus de terra Montis Sanctis Dominii Ill.^{ris} Civitatis Spoleti publicus Apostolica autoritate notarius et judex ordinarius predictam copiam prout et sicut in originali dicti libri seu prothocolli dicti D Persii notarii premortui inveni vidi et legi ita hic fideliter per ordinem scripsi et exemplari nil addens mutans vel minuens quod sensum mutet vel veriet nisi forte punctum literam vel syllabam per errorem et quia in auscultatione facta per me et ser. Hieronimum, Hectorem notarium publicum de dicta terra Montis Sancto in presentia magnifici Domini Iacobi Philippi de Grassis de Civitate Spoleti Potestatis dictae terrae de cujus mandato licentia et Commissione dictam copiam sumpsi cum dicto originali concordare invenimus, ideo publicavi et in publicam hanc formam redegei nequisitus. Qui magnificus Dominus Potas Iudex sedens pro tribunali ad ejus solitum bancum Iuris positum in Palatio suae solitae residentiae sito in dicta terra Montis Sancti juxta plateam Ioannis vias publicas et alia.^{tra} Visis et auditis praefatis et ha-

¹⁵

Nel testo da cui si trascrive è scritto: "authoritale"

bita relatione a memorato et praedicto ser. Hieronimo de concordatione ac visa per ipsum dicta auscultatione et concordatione sua et Communis dictae terrae auctoritatem interposuit pariter et decretum mandavit praesenti instrumento tran sumpti plenam fidem adhiberi sicuti suo pubblico et autentico originali omni modo meliori.

Presentibus ibidem Reverendo presbitero fratre fratre Antonio Neri de terra Qualdi Nucerae diocesis ordinis Minorum conventualium et Iosepho Caccia de Castro pedis vallis comitatus terrae nursiae testibus ad praemissa habitis vocatis atque rogatis. Et in fidem et testimonium premissorum ego idem Angelus Notarius me subscripsi et signum nomenque meum consuetum apposui sub anno Domini millesimo sexcentesimo inditione decima tertia tempore Pontificatus Sanctissimi in Christo Principis et Domini Nostri Domini Clementis divina providentia *papae* octavi die vero vigesima mensis Novembris dicti anni

Signum mei Angelic notarii praedicti.

Et quia ego Hieronimus Hectoreus de terra Lontis Sancti domini Illustrioris Civitatis Spoleti publicus apostolica auctoritate Notarius Iudexque ordinarius supradictae transumptioni ac collationi rebusque aliis sicut ut supra coram supradicto Domino Potae facti una cum supra dicto scilicet Angelo connotario publico interfui subscripsi et publicavi in premissorum fidem et testimonium signum meum et nomen consuetum rogatus et requisitus.

Sequitur signum. In hoc signo vinces.

Defensores terrae Montis Sancti Dominis Illustris Civitatis Spoleti.

Omnibus praesentes inspecturis fidem indubiam facimus prefatos Dominum Angelum Placidum et Dominum Hieronimum Hectoreum nostros conterraneos fuisse et esse notarios publicos fidos et legales eorumque scripturis publicis ab omnibus adhibitam fuisse. Et ad praescriptos adhiberi plenam et indubitam fidem hic pariter fidem facimus in hac nostra Provincia et in aliis locis ecclesiasticis. Instrumenta et alias publicas et authenticas scribi solere in Carta membrana.

In quorum fidem etc.

Locum sigilli.

Subscriptio.

Apollonius de Civilibus not. Montis Sancti.